



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

In Funere alicujus Nobilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

accubuerunt. Quod Castitatem attinet. Tertull. dixit lib. de Monogamia. *Quamdiu causabimur carnem? quia dixit Dominus, caro infirma, sed præmisit, & spiritus promptus ut vincat spiritus carnem, ut cedat quod infirmum est fortiori. Nam & qui potest capere capiat, dixit: id est qui non potest, discedat. Discessit & ille Divus qui non ceperat substantia dividenda egenis præceptum, & dimissus est sententia Domini.* Quare concludo verbis Bern. l. c. *Tria sunt necessaria prælanti, ut scilicet strenuus industriusque miles, & circumspectus sit ad se servandum, & exredicus ad discurrendum, & promptus ad feriendum.* Boni milites ut idem ibid. *Imminente bello, intus fræ non auro se muniunt, quatenus armati & non ornati hostibus metum incutiant, & non provocent avaritiam &c.* Equos habere cupiunt fortes & veloces, non tamen coloratos aut phaleratos, pugnam quippe non pompam, victoriam non gloriam cogitant, & student esse magis formidini quàm admirationi.

In Funere alicujus Nobilis.

Calamitates humanæ eodem nobiscum procedunt modo atque Samson cum Philistæis, exurunt agros, amicos tollunt ut ille maxillâ asini, diruunt ædificia ut ille portas civitatis Gathæ, tandem ipsas columnas Re pub. invadunt. *Apprehendit ambas columnas quibus nitebatur tota domus unam dexterâ & alteram levâ tenens. concussis fortiter columnis cecidit domus super omnes Principes, & cateram multitudinem que ibi erat.* Hoc planè hodie nobis accidit, cum N. cecidit columna cui Principes & populus innitebatur. Non tamen hæc omnino columna cecidit, sed magis stabilita est.

Habet DEUS in hoc mundo columnas majores & minores ut tolet fieri in magno palatio. Columna est civis in sua
 M domo;

domo; major, nobilis &c. Alia sunt intra domum, alia aëri
 exposita. Columna fuit N. in domo magna, &c. Fuit statim
 firmatus in fide vera. Fuit columna propter virtutes in ju-
 ventute, Eccl. 33. quærit. *Quare dies diem superat, & iterum
 lux lucem, & annus annum?* Non quærit de die solari, nam
 ad hoc facile respondebit Mathematicus, quare sit dies una
 longior, sed quare unus homo sit clarior altero, una columna
 superet aliam? ut dies alii profesti, alii solennes, ita homines;
 inter ipsa festa est distinctio. Respondet sibi scriptura cap.
 citato. *A Domini scientia sunt facta sole.* Ut dies omnes à so-
 le, ita homines à DEO, tamen quodam ipse sibi separat. *In
 multitudine disciplina separavit, & immutavit vias eorum, ex
 ipsis sanctificavit & ad se applicavit.* Fuit N. columna, in vir-
 tute, doctrina. *Immutat vias eorum, dat his quos eligit DEUS
 dona.* Benedictio DEI immutat, *dixit & facta sunt.* Provi-
 det talibus prudentes & probos Instructores, ita factum cum
 N. Sed hætenus hæc columna veluti sub velo fuit cum ab Ar-
 tifice DEO perficeretur, perfecit & ostendit in dignitatibus,
 Ibi in singulis exercuit pietatem, justiciam, liberalitatem,
 in adversis fortitudinem. Postea hæc columna firmata est
 per connubium ex quo multæ securæ sunt affinitates & pro-
 les. Jam vobis valedicit, & inprimis tibi N. *Memineritis filii
 operum Patris vestri,* quod dixit Matathias ad suos. His ver-
 bis vobis Filii Pater, quibus Rex Hispaniæ Philippo tertio suo
 filio. *Magnam tibi Fili gratiam fecerit DEUS, si te ad illud gloria
 fastigium evexerit, quo me præcuntem habuisti, sed ex animo te ob-
 testor, cum id assecutus fueris, hujus etiam lecti in quo me vides
 memineris, hic ut cernis, subsistit omnis gloria.*

In Funere alicujus Adolescentis Nobilis.

CUM inspicio vineam N. video latitudinem à Majoribus,
 dico